97. 14

Vadiane optime. Scripsi ad te ante mensem fere, et
misi libellum meum cum epistolam quandam, et
libellum Italicum ad D. Vlricum Horut-
ner; Dedi literas ferendas vestrati tab-
ellario, quem in hospitio Ciconiae vestrae
urbis inveni. Sum vero magnope-
re miratus, quod nihil abs te viro offi-
ciosissimo literarum vicissim acceperim
praesertim quum viderim te ad alios ami-
cos huc scripsisse. Itaque iterum puta-
vi te excitandum, Heus pater, te
Vergerius vocat, ut si amas, atque ut
liberalis aliquando hunc amorem testeris.
Valeo pulchre Dei benignitate, labo-
ravi per integros ~~sex~~ tres menses pro Christi
mei gloria peregrinando, nunc ad
meam ecclesiam, quae apud Rhaetos
est redeo. En habes fere rationem
rerum mearum. Tu me redama, et o-
ra pro me. Gratia et pax D.
N. Iesu Christi cum omnibus vobis. amen

Tiguri pridie Kal. ~~Augusti~~ Septembris 1550

Vergerius.

Clariss. Viro D. Ioachi-
mo Vadiano Consuli San-
galensi -

Petrus Paulus
Vergerius.

San Gall -

Petrus Paulus
Vergerius.

37 b

novarum hic quae sparguntur te certiorem sciens quia nunc non est quod aliud scribam. Tu si quid certi habes de Caesare, de comitijs, de Constantia et alijs fac sciam. De negocio quod mihi est seorsum cum Constantiensibus scias Bernates quidem denuo solicitatos apud senatum Tigurinum quo nunc immaneant. Sed tandem experior id quod tu nuper testabare de Tigurinis illis primatibus. Ego vero ita rem gerent omnia boni consulere didici certo sciens ipsi et haec et omnia mea esse in manu ac bene cessura. ipso [illegible], Simlerus paulo ante meum abitum ad me scripsit, cui expedite respondebo. Pestes et Bernae et multis alijs locis grassatur. Comes Georgius etiamnum hic agit. Ex eius ore nuper accepi Ducem Brunsuicensem affinem suo fusum exercitum ab urbibus maritimis ac desyderari ex nobilibus non parum multos. Bene vale meque (ut soles) amare pergas etsi absentem tibi corpore, Animo neque non praesentem, quod certo certius credere debes. Ex Thermis Raptiis 7 Septembris 50

Tuus Jo. Jungius

Schluss von 173!

Vere cum pio cum docto
D Ambrosio Blaurero. dño
suo colendissimo. patriqz
charissimo.

[illegible]